



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Historia Scholastica Magistri Petri comestoris sacre  
scripture seriem breuem nimis [et] obscuram elucidans**

**Petrus <Comestor>**

**Argentine, 1503**

**VD16 P 1829**

Reditus historie ad ordine[m] suum ca. lxx.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30892**

## Scriptum apostolorum

erit tyrijs et sidonijs quibus iratus erat. Quod audientes tyrii et sydonii: venerunt ad blasum qui erat cubicularius herodis et custos thesaurorum eius. quia erat amicus eorum et patronus. et eo interprete reconciliati sunt herodi. Non enim poterant sustinere inimicitias regis tam vicini. Sequenti autem die herodes vestitus veste regali sedebat pro tribunali apud eos: et precinabatur ad eos blandiens eis. Populus autem acclamabat dei voces et non hominis. id est. exhibebat ei laudes deo debitas et non homini. Et dum adulatorijs fauoribus demulceretur. et oblatos sibi diuinos honores non respiceret. respiciens super se vidit imminente et insistentem capiti suo in funiculo angelum. id est. bubonem mortis eius. pro me nunciatum. et tunc ut tradit iosephus inclinavit se ad eos qui sibi applaudebant: et dixit eis. En ego deus vestester mortuus. Sciebat enim facta quod dixerat ei augur. cum traheretur ad carcerem: se infra quatuor dies post visionem bubonis mortis. Et cōsultum ut habet in historia percussit eum angelus domini. id est. facta est super eum vindicta dei: quia per quatuor dies ventris dolore cruciatus est. et corrodabant vermes viscera eius. et ita paulatim consumptus a vermibus expirauit.

De agrippa.

Capitulum LXXIX.

### Reliquit autem filium

quod dicitur est agrippa non cognominatus herodes: qui adhuc romae erat. nec habuit totum regnum patris sed partem. Habuit autem terram duarum tribuum et dimidie ultra iordanem. Unde legitur quia fideles in iudea imminente euersione hierusalem ad ammonitionem angeli secesserunt in regnum agrippae istius. scilicet filij herodis agrippae.

Reditus historie ad ordinem suum.

Capitulum LXXX.

### Nunc redit historia

ad ordinem suum. et continuatur ei quod supra dictum est. collecta facta est a fidelibus antiochie missam pauperibus in hierusalem per barnabam et paulum. Quod enim insertum est de herode. de morte iacobi. de incarceratione et liberatione petri. quasi incidens fuit. Prosequitur ergo de reditu barnabe et sauli

li a hierosolymis historia in hunc modum. Verbum domini crescebat et multiplicabatur. Barnabas autem et saulus reuersi sunt ab hierosolymis assumpto secum iohanne qui cognominabatur marcus post expletum misterium. Erant autem in ecclesia qui erat antiochie propter eos qui venerant ab hierosolymis prophetae et doctores. inter quos erat simon qui vocabatur niger. et lucius cirenensis. et manahen qui erat herodis tetrarche col lactaneus. id est. eodem cum illo lacte nutritus. Et possunt eisdem accipi prophetae et doctores. Vel potest ita distingui. Prophetae de futuris. et doctores de praeteritis. Et vide quod iste simon dictus est de colore niger si sit latinum vocabulum. vel si est hebraicum dictus est niger: quasi ascendens de virtute ad virtutes. Niger est hebraicum: et interpretatur ascendens. Ministrantibus autem illis domino et ieiunantibus: dicit eis spiritus sanctus. Segregate michi barnabam et paulum in opus ad quod assumpsi eos. Qui audito consilio spiritus sancti remiserunt saulum et barnabam in hierusalem ad petrum et iacobum et iohannem qui erant ibi. Qui gaussi sunt audito mandato domini vel spiritus sancti. et ieiunantes et orantes imposuerunt eis manus in modum ordinandorum. Utrum autem propter impositionem manuum aliam ordinis sollemnitate circa eos celebrauerunt incertum est. Nec de ordinatione apostolorum aliquid legitur. vel quod dominus eis imposuerit manus. De petro tamen certum habet quod antiochie missam celebrauerit. Sed potuit apostolis pro ordinatione sufficere: quod dictum est eis a domino. Hoc facite in meam commemorationem. Et licet non interfuerit barnabas et paulus. tamen quod postea electi sunt ad apostolatum consilio spiritus sancti: forsitan in hoc cum alijs fuerit presens legatus. nec alia sollemnitas ordinationis circa eos celebrata est. Multi in primitiua ecclesia sine hac sollemnitate ordinationis ad sacerdotium promoti sunt. et multi laici sine diaconatu et praecedentibus ordinibus sacerdotes facti sunt. Et imponentes eis manus dimiserunt eos. Et ipsi qui dem missi a spiritu sancto eodem duce itineris qui separauerat eos a ceteris: abierunt seculum. et inde nauigauerunt cyprum. Et cum venissent salaminam predicabant verbum dei in synagogis iudeorum. propter reuerentiam sive duriciam eorum. et habebant secum in ministerio predicationis iohannem qui cognominabatur marcus.